

## Eine besondere Badeanlage



*Seneca beschreibt die private Badeanlage des älteren Scipio (- 183 v. Chr.) und vergleicht sie mit dem Luxus zeitgenössischer Privatbäder (epist. XI, 86, 4).*

### SENECA LVCILIO SVO SALVTEM

[4] Vidi villam exstructam lapide quadrato, murum circumdatum silvae<sup>1</sup>, turres quoque in propugnaculum<sup>2</sup> villae utrimque subrectas, cisternam aedificiis ac viridibus<sup>3</sup> subditam, quae sufficere in usum vel<sup>4</sup> exercitus posset, balneolum angustum, tenebricosum ex<sup>5</sup> consuetudine antiqua: non videbatur maioribus nostris caldum<sup>6</sup> nisi obscurum<sup>7</sup>. [5] Magna ergo me voluptas subiit contemplantem mores Scipionis ac nostros: in hoc angulo ille 'Carthaginis horror', cui Roma debet<sup>8</sup>, quod tantum semel capta est, abluabat corpus laboribus rusticis fessum. Exercebat enim opere se<sup>9</sup> terramque (ut mos fuit priscis<sup>10</sup>) ipse subigebat<sup>11</sup>. Sub hoc ille tecto tam sordido<sup>12</sup> stetit, hoc illum pavimentum<sup>13</sup> tam vile<sup>14</sup> sustinuit: at nunc quis est<sup>15</sup>, qui sic lavari sustineat? [6] Pauper sibi videtur<sup>16</sup> ac sordidus, nisi parietes magnis et pretiosis orbibus<sup>17</sup> refulserunt, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis<sup>18</sup> distincta sunt<sup>19</sup>, nisi illis undique operosa et in picturae modum variata circumlitio<sup>20</sup> praetexitur<sup>21</sup>, nisi vitro absconditur camera, nisi Thasius lapis, quondam rarum in aliquo spectaculum<sup>22</sup> templo, piscinas nostras circumdedit, in quas multa sudatione<sup>23</sup> corpora exsaniata

---

### Kommentar:

<sup>1</sup> murum circumdatum silvae = ein Park mit einer Mauer umgeben

<sup>2</sup> propugnaculum, -i n = Schutzmauer, Bollwerk

<sup>3</sup> virides, -ium = hier: Wiese

<sup>4</sup> vel = sogar

<sup>5</sup> ex = nach

<sup>6</sup> caldum = Wärme

<sup>7</sup> obscurum = das Dunkle

<sup>8</sup> debere = verdanken

<sup>9</sup> se exercere opere = sich körperlich betätigen

<sup>10</sup> priscis = bei den Alten

<sup>11</sup> subigere = bearbeiten

<sup>12</sup> sordidus 3 = bescheiden

<sup>13</sup> pavimentum, -i n = Fußboden; „hoc“ gehört dazu; illum = Scipionem

<sup>14</sup> vilis, -e = einfach

<sup>15</sup> quis est = wen gibt es

<sup>16</sup> sibi videri = sich vorkommen

<sup>17</sup> orbis, -is m = hier: Spiegel

<sup>18</sup> crusta, -ae f = Reliefeinlage

<sup>19</sup> distinguo 3 = verzieren

<sup>20</sup> circumlitio, -onis f = Bemalung

<sup>21</sup> praetexo 3 = anbringen;

<sup>22</sup> spectaculum, -i = Anblick

<sup>23</sup> multa sudatione = nach viel Schwitzen



demittimus, nisi aquam argentea epitonia fuderunt. [7] Et adhuc plebeias fistulas<sup>24</sup> loquor: quid<sup>25</sup>, cum ad balnea libertinorum pervenero? Quantum statuarum, quantum columnarum est nihil sustinentium sed in ornamentum positarum impensae causa! quantum aquarum per gradus cum fragore<sup>26</sup> labentium! Eo deliciarum pervenimus<sup>27</sup>, ut nisi gemmas calcare nolimus.

[8] In hoc balneo Scipionis minimae sunt rimae magis quam fenestrae muro lapideo exsectae, ut sine iniuria<sup>28</sup> munimenti lumen admitterent; at nunc blattaria vocant balnea<sup>29</sup>, si qua non ita aptata sunt, ut totius diei solem fenestris amplissimis recipiant, nisi et lavantur simul et colorantur, nisi ex solio agros ac maria prospiciunt. Itaque ea, quae concursum et admirationem habuerant, cum dedicarentur, in antiquorum numerum reiciuntur, cum aliquid novi luxuria commenta est, quo ipsa se obrueret<sup>30</sup>. [9] At olim etiam pauca erant balnea nec ullo cultu<sup>31</sup> exornata: cur enim exornaretur res quadrantaria<sup>32</sup> et in usum, non in oblectamentum reperta? Non suffundebatur aqua nec recens semper velut ex calido fonte currebat, nec referre credebant<sup>33</sup> in quam perlucida<sup>34</sup> sordes deponerent. [10] Sed, di boni, quam iuvat illa balinea intrare obscura et gregali tectorio inducta<sup>35</sup>, quae scires<sup>36</sup> Catonem tibi aedilem aut Fabium Maximum aut ex Corneliis aliquem manu sua temperasse! Nam hoc quoque nobilissimi aediles fungebantur officio intrandi ea loca, quae populum receptabant exigendique munditias et utilem ac salubrem temperaturam, non hanc, quae nuper inventa est similis incendio, adeo quidem, ut convictum<sup>37</sup> in aliquo scelere servum vivum lavari oporteat. Nihil mihi videtur iam interesse<sup>38</sup>, ardeat balineum an caleat. [11] Quantae nunc aliqui rusticitatis damnant<sup>39</sup> Scipionem, quod non in caldarium suum latis specularibus diem admiserat, quod non in multa luce decoquebatur et expectabat, ut in balneo concoqueret! O

---

### Kommentar:

<sup>24</sup> fistula, -ae = hier: Bad

<sup>25</sup> quid = was soll ich sagen

<sup>26</sup> fragor, oris m = Getöse

<sup>27</sup> eo deliciarum pervenire = so anspruchsvoll werden

<sup>28</sup> iniuria, -ae + Gen. = Schaden für

<sup>29</sup> blattaria balnea = Schabenbäder = Bäder ohne Licht

<sup>30</sup> se obruere = sich überbieten

<sup>31</sup> cultus, -us m = Prunk

<sup>32</sup> res quadrantaria = eine Sache, die ein Viertel As kostet

<sup>33</sup> referre credere = für wichtig halten

<sup>34</sup> in quam perlucida = in wie klarem Wasser

<sup>35</sup> gregali tectorio inductus 3 = mit gewöhnlicher Tünche bestrichen

<sup>36</sup> quae scires = von denen man weiß (, dass ....)

<sup>37</sup> convictus 3 = überführt

<sup>38</sup> nihil interesse = kein Unterschied sein

<sup>39</sup> damnare + Gen. = verurteilen zu



hominem calamitosum! nesciit vivere. Non saccata aqua lavabatur, sed saepe turbida et, cum plueret vehementius, paene lutulenta. Nec multum eius intererat<sup>40</sup>, an sic lavaretur; veniebat enim, ut sudorem illic ablueret, non ut unguentum. [12] Quas nunc quorundam voces futuras credis<sup>41</sup>? 'Non invideo Scipioni: vere in exilio vixit, qui sic lavabatur.' Immo, si scias, non cotidie lavabatur; nam, ut aiunt, ii, qui priscos mores urbis tradiderunt, brachia et crura cotidie abluebant, quae scilicet sordes opere collegerant, ceterum<sup>42</sup> toti<sup>43</sup> nundinis<sup>44</sup> lavabantur. Hoc loco dicet aliquis: 'liquet mihi immundissimos fuisse'. Quid putas illos oluisse<sup>45</sup>? militiam, laborem, virum. Postquam munda balnea inventa sunt, spurciores sunt. [13] Descripturus infamem et nimiis notabilem deliciis Horatius Flaccus quid ait?

Pastillos<sup>46</sup> Buccillus olet.

Dares<sup>47</sup> nunc Buccillum: proinde esset ac<sup>48</sup> si hircum<sup>49</sup> oleret, Gargonii loco esset, quem idem Horatius Buccillo opposuit. Parum est sumere unguentum nisi bis die terque renovatur, ne evanescat in corpore. Quid<sup>50</sup>, quod hoc odore tamquam suo gloriantur?

### Fragen zum Text:

1. Wie beschreibt Seneca das Bad des Scipio?
2. Wie hat sich der Badekult in den über 200 Jahren von Scipio Africanus Maior bis Senecas Zeiten verändert? Warum?
3. Wie sieht Seneca diesen Wandel?

---

<sup>40</sup> eius interest = es kommt ihm darauf an

<sup>41</sup> quas ..... credis? = Wie werden sich deiner Meinung nach dazu manche Leute äußern?

<sup>42</sup> ceterum = im übrigen

<sup>43</sup> toti = zur Gänze

<sup>44</sup> Nundinis = an Markttagen

<sup>45</sup> olere = riechen nach

<sup>46</sup> pastilli, -orum = Pastillen

<sup>47</sup> dares = du könntest auftreten lassen

<sup>48</sup> proinde esset ac = es wäre genauso wie

<sup>49</sup> hircus, -i m = Bocksgestank, Achselgeruch

<sup>50</sup> quid = was solls